



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres

Commire, Jean

Lutetiæ Parisiorum, 1678

Psittacus. Ad V. C. Annam Biardum Incarvillaeum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14818

Nec vos ullus amor nidorum aut prolis alendæ
 Sollicitat castas , importunique hymenæi.
 Nec jam ullus terret medicato vimine pastor ,
 Aut serpens ri&tu , prædatorye unguibus ales.
 Otia sed vobis clemens immunia præstat ,
 Carminis & solum officium pro munere poscit.
 Obsequium felix , & libertatis amori
 Anteferendus honos, tali servire magistro.

PSITTACUS.

A D V. C.

ANNAM BIARDUM INCARVILLÆUM.

TU quoque carminibus quondam celebrabere
 nostris
 Eo&e viridis regnator Psittace silvæ :
 Quo doctæ gaudent volucres didicisse magistro
 Arguto humanas imitari gutture voces.
 Unde tuæ tamen ordiri præconia laudis
 Incipiām ? nam dicta aliis jam vatibus , auro
 Circum colla nitens , minioque interlita torquis ,
 Plumaque nativo superans fulgore lapillos ,
 Et mille ad solem quæ sparsa coloribus Irin
 Cauda refert , coccoque rubentis gloria rostri ,
 Blanditiaque , jocique , & herilibus oscula labris
 Sueta dari , & sœvæ in fures convitia linguae.
 Hæc , & plura , quibus justo te Psittace tollis
 Inter aves fastu , prisci cecinere poetæ :
 Nos versam effigiem , mutataque membra canemus .
 Parnassi sacras furtim penetraverat arces
 De levium populo lepidissimus unus Amorum.

Nam



Nam sorte Idalii nascuntur dispare fratres.
Hos Cytherea parens divino semine leti
Procreat immunes: ast illi humana sequuntur
Fata nothi, patrioque trahunt à sanguine labem.
Haud tamen hic gressu pueris cœlestibus ibat
Inferior: par oris erat, frontisque venustas;
Idem oculis ardor. Non flavis gratia cirris,
Non brevibus deerat formosa superbia pennis.
Nec minus ille etiam jaculis metuendus & arcu;
Nec rufis ardentи juvenes incessere tæda,
Si libuisset, erat. Sed enim violentia menti
Nulla fuit: ludi, nugarumque una voluptas.
Gaudebat petulante sales aspergere lingua,
Et grata innocuis incendere prælia dictis.
Ergo ubi se lucis frondentibus intulit audax,
Nunc vitreos propter fontes lascivus oberrat;
Nunc super areolas & odoriferos pulvillo
Radit iter liquidum suspensis lubricus alis;
Nunc manibus totos horti populatur honores
Præteriens, fertisque comas innectere gestit.
Sæpe etiam medio libratus in aere, lauri
Vel ramo insistens, flores jaculatur; & ipsas,
Aut violæ, aut croceo calthæ petit imbre sorores:
Inque caput nimbos, inque ora effundit olentes
Insultans; factisque jocos scurrilibus addit.
Non tulit ulterius puerum regina procacem
Calliope; meritisque pares imponere pœnas
Cogitat. Ecqua autem speret ratione fugacem
Prendere? Fidentemne etiam pernicibus alis
Captabit? notos igitur se vertit ad astus:
Et volucrem aucupio, qua debuit arte, fefellit.
Forte fuit curva auratus testudine carcer,

Quem distincta ostro virgarum argentea circum
 Claudebat series : fulgent capita alta pyropis
 Nexilibus ; virides prætexunt infima gemmæ.
 Hoc quondam abdiderant vietas certamine Picas ,
 Servabantque sui monumentum insigne triumphi
 Aonides. Ergo hunc mediis componit in hortis ;
 Ambiguasque fores , & fallax cardine limen
 Occulto insidians filo suspendit. At intus
 Calliope flores & poma reponit , amori
 Incauto illecebras. Quæ summa ut ab arbore vidi;
 Advolat in prædam , caveæque irrumpit apertæ :
 Demens , qui luctusque suos , quodque ipse parabat
 Exitium sibi , nesciret ! Nam pensile limen
 Labitur extemplo , & nulla reserabilis arte
 Cardo viam obstruxit. Gemuit Cythereia proles ,
 Proque suis sero nimium fese increpat ausis.
 Nec minus interea , si quâ vi claustra revellat ,
 Nititur. Explorat clathros , & virgea multâ
 Septa manu quassans , morsuque & dentibus urget
 Nequicquam. Simul hinc magnis clamoribus adsunt
 Pierides , gaudentque vicissim illudere ; & iras
 Extimulant dictis & amaræ verbere linguae.
 Ille truci contra obtutu respondet ; & acres
 Plus oculis quam voce minas , ni vincla resolvant
 Protinus , intentat. Sed scilicet irrita Divæ
 Verba parum curant : ipsaque in clade ferocem ,
 Proque prece & lacrymis arcus & tela parantem ,
 Aversæ merito captivum in carcere linquunt.
 At puer infelix , quando jam exire facultas
 Nulla super , questusque diu jaçtarat inanes ,
 Nil responsuræ nomen genitricis opemque
 Implorans , statuit crudelem abrumpere vitam.

Ovid. I. 6. Mc-
 tamorph.

Utque humeris habilem pharetram de more gerebat,
Telum immite manū (tanta impatientia probri est,)
Heu! telum non hos fabricatum promit in usus.
Ferrumque obvertens nil tale merentia contra
Pectora : Tū certe vinclis & carcere fœdo
Eripies , inquit ; meque in mea jura repones :
Nec longum illudi capto patieris Amori.
Has inter voces letali saucius ictu
Labitur , inque suo moriens se sanguine versat.
Quem simul ac vedit (namque hauserat illa furentis
Clamorem extremum) casu illacrymavit acerbo
Calliope : pectusque manu percussa decorum ,
Ungue genas secat ; & flavos mœstissima crines
Inferias puero superinjicit , atque ita fatur :
Non ego te , testis Dea mater , & ipse loquenti
Frater Amor , tantum sperabam haurire dolorem ;
Ut velles telo crudele arcessere funus.
Da veniam , ô si quis sensus post fata remansit ,
Errorisque animum memorem ne perfer ad umbras.
Dum queritur , corpus visum est exangue moveri :
Sive fuit lacrymis ea vis , siue oscula crebra
Instaurare animam membris potuere fovendo.
Nec mora , pro puero volucri novus emicat alis
Psittacus : inque Deæ gremium mirantis & ora
Insiliens blanda solatur voce ; manumque
Et tenero in pignus pacis petit oscula rostro.
Ille quidem nollet cavea breviore teneri :
Non tamen hanc odit ; nam priscum morte furem
Deposuit : sed par studium , par lusus , & idem
Garrulitatis amor mutato corpore restat.